

coactus est habitum suum pristinum, laetiozem scilicet, recuperare. Et se igitur amplificat, qui tantum dolorem omnium meruerit, et hunc quasi tyrannum insectatur, qui senatui nec lugere permiserit.

5 Capuaene te putabas? § 17.

Fuit enim Piso natione Campanus. Βαρύως itaque Capuensibus adscribit vitium superbiae, quod ipsum et in ea oratione facit, quam habuit contra legem agrariam, copiosius multo et effusius.

10 Te misericordem fuisse? Quo verbo ceteros demonstrabas crudeles fuisse.

Ἐκ τοῦ ἐναντίου. Syllogismo usus est breviter a contrario, ut qui se misericordem dixerit, crudelitatem senatui exprobraverit.

15 Tu misericors me adfinem tuum constrictum inimicis tradidisti.

Εἰρημένον εἰς εἰπόντα. In eundem Pisonem retorsit invidiam crudelitatis, qui nec sibi contemplatione adfinitatis opem tulerit magis consentiens actionibus Clodianis.

20 Nondum palam factum erat occidisse rem p. § 18.

Haec etiam μεταφορὰ est ab hominibus iam demortuis et deploratis, de quibus dicitur 'palam factum', cum mors eorum nuntiatur. 'Arbitria' vero funeris sumtus dicit illos, qui ad exhibitionem funeris inpenduntur per eos, qui expediendae sepulturae curam sustinent. Et hos ergo ini-

25 micos . . .

(Desunt VI paginae.)